



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Militia Immaculatae Conceptionis Virginis Mariae, Contra Malitiam Originalis Infectionis Peccati

Alva y Astorga, Pedro de

Lovanij, 1663

Ill[ustriss]mo Et Excell[entiss]mo Domino D. Ludovico Carillo Benavides
Et Toledo, ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-13965



ILL. MO ET EXCELL. MO
 DOMINO
D. LUDOVICO
CARILLO BENAVIDES
ET TOLEDO,
 MARCHIONI DE CARACENA,
 PRO REGIA MAJESTATE
PHILIPPI IV.

Hispaniarum, Indiarum Monarchæ,
 BELGII GUBERNATORI, &c.



M Alitiæ Peccati Originalis oppugnanti
 parvulorum Innocentiam Militia lit-
 teratorum propugnantium calamis in-
 contaminatam puritatem proponitur :
 cum nulli æquius quàm in vaso , neque
 Religiosius cuiquam quàm Sancto, non
 utiliùs ulli quàm Beato possit uspiam
 defensionis præsidium impendi ; illi maxime , qui quàm mi-
 nimè meretur impugnari . Quo prologo (nisi deviem)
 descripsi operis mei materiam , assignavi ei Mœcenatem ,
 Te Excellentissime & Illustrissime Heros. Res est notior,

quàm ut doceri debeat, charior quàm ut possit commenda-
ri. B. Virgo *θεοφορος* longâ serie sæculorum, immò ipsius
etiam æternitatis in possessione innocentiae, in laude pos-
sionis quieta, pridem (puta à trecentis annis) pulsari cœ-
pit, velut è possessione deturbanda. Itum ad acuta Belli,
continuò *Ecclesia*, tum certè *militans*, tamquàm respublica
(quæ verè est) Romana inter suos, Cæsarem, & Pompejum,
Sanctos, scilicet, Dominicum, & Franciscum, facta du-
plex acies

Virg.
1. *Eneid.*

Studijs asperrima Belli.

In alterna prælia, & reciprocos ictus erupit. Uterque ca-
strametati circa MARIAM, quæ proindè inter arma
nata, immò etiam concepta, apparet ipsa bellis oblectari,
cant. 7. ut *vix videri aliud possit in hac Sunamute nisi chori Castrorum*. Hæc
nempè est illa Rosa aculeis suis armata, hoc Lilium spinis
suis obfessum, quæ cuspides aculeorum, & spinarum acus
extra obvertit adversantes læsura, sibi intrò eorum ba-
sim, id est, pacem habet, innocentiae possessionem pro-
secuta. Quæ ideo controversa est, ut desinat olim con-
troverti; proindè impugnari se finit, ut sciatur non posse
expugnari. Et denique hæc incus pulsari se patitur, ut ipsis
ictibus solidetur: interim tamen hæ duæ acies, hi (quos
dixi) Ordines pares animis, impares facultate, dudum, &
nunc copias suas educunt, & utrimque inæquales. Illa (di-
eam) pars Pompei, quæ vincenda est paucitate suâ, suæ
cædi præludit, tot sæculis non nisi trecentos quindecim
educens: nostra, quæ Augusti est, & proindè victura, fe-
rè sex millia. Eant nunc illi, & opponant nobis nume-
rum, quo sunt imminuti: fidant æquitati causæ, quâ labo-
rant: invitent antiquitatem, quâ sunt opprimendi. Nemini
non notum veteranos milites optimos esse, & vel indè
adoptandos: nos autem vetustate centuriamus. Quisque
scit probum quemque Fidei faciendæ opportunum: nos
etiam Beatos numeramus. Et denique sat scitum est vali-
dissimum telum esse tonitru, aut fulmen, quippè coelitus
explosum: nos proindè miracula producimus, porten-
ta tamquam tormenta bellica, quæ non nisi cælo ex-
plodi potuerunt. Hæc *arma Militiæ nostræ*, hæc Militia
2. Cor. 10. Conceptionis (contra malitiam originalem) quæ etiam
me

me tacito, & nihil imperante seipsam sistit Tibi Excell.^{me}
 & Ill.^{me} Heros, suo commodo, Tuo jure. Non ita pridem
 prodijt nostrâ operâ opus titulo illustre, SOL VERITATIS,
 & Majestatem Regiam Mœcenatem suum accessit. Alter
 etiam eodem utero editus, etsi alio partu, NODUS IN-
 DISSOLUBILIS Magno Alexandro VII. oblatu, ut
 eam suo aut oraculo explicaret, aut suâ auctoritate rescin-
 deret. Tertius hic Tuus esse vult, ac proindè trium, hoc
 est, utriusque illorum tecum, in quo singulorum aliquid,
 scilicet, Regium ac Sanctum inveniet. Tuus est, nec mirum,
 quia militaris, immò MILITIA ipsa est. Ego milites meos in
 manipulos, hos in cohortes, utrosque in legiones litterarum
 disposui; invitandus est Imperator quispiam, & Dux co-
 piarum; quis nisi quispiam Carillo & Benavides? Gabrias
 ille Atticus pulchrè pronuntiavit malle se ovium exerci-
 tum Duce Leone, quàm Leonum, qui ab ove ducerentur.
 Et ecce theoriam praxi explicatam. Ecce exercitus
 Duce Leone, quando Tu eum educis, cui excubat in
 stemmate Leo; securè explicandus, si Tu eum Tuâ turre
 excipias. Materia Mœcenatem vindicat, illa Regia est, im-
 mò Regina; sed inter bella concepta. Tu necdum natus
 in parentibus Tuis militasti; ipse etiam diluculo quodam
 ætatis quasi

Reptasti per scuta puer.

Nunc verò emeritus Marte, etiam Mercurio pugnas: &
 Militiæ meæ non modo dux es, sed pars; quippè quam
 ipse insigni opere auxisti. Admitte ergò oblatum, si mi-
 nùs quâ nostrum, tamen quia Tuum. Militare est, ac proin-
 dè Tuum; Marianum, & secundò Tuum: in qua etiam
 propugnandâ tot virtutibus litabis æquitati, quia inva-
 la est; Religioni, quia Sanctissima; spei ac utilitati Tuæ,
 quia Divina. Quæ omnia, cùm oret, immò ominetur
 Excell.^{tia} Tuæ, desinit esse molestus, durabit obstrictus

Claud.
 de 3.
 Conf.
 Honor.

*Obsequentissimus Servus &
 Sacellanus,*

Lovanij 16. Kal. Novem-
 bris 1663.

FR. PETRUS DE ALVA
 ET ASTORGA.